



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad  
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus  
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse  
Licitus**

**Terillus, Antonius**

**Leodii, 1678**

Quæst. XII. Vtrùm ex eo, quòd benignæ sententiæ usus semper viguerit in  
Ecclesiâ rectè colligatur, illam esse veram?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)



peccatum imputari nequeunt. Demum multa ad istas leges, maximè ad humanas, spectantia, adeo difficilia sunt imbecillitati humanae, ut nemo possit certò veritatem cognoscere, sed post omnem conatum utraque pars manet probabilis. In his error imputari non potest, si quis eam partem segetur, quam post diligens studium veram reputat.

Paritas inter materiam fidei & morum declaratur.

15. Hinc patet eandem prorsus esse rationem de materia fidei, ac de morum doctrinà; sicut enim in moribus, ita & in fide aliqua sunt quasi prima principia, aut per se obvia, aut facile reperibilia; alia autem in utraque materia sunt difficiliora, quae saepe invincibiliter ignorantur; alia demum difficilissima sunt, & per consuetas hominum vires certò innotescere non possunt, & in his omnes invincibili ignorantia laboramus, & qui post diligens examen errant, utique errant invincibiliter. Unde sic arguo. In materia fidei saepe invincibiliter erratur: in quo casu error ille, & actus voluntatis ab errore illo directus nil mali continent, sed è contrario Deo placent, ut in materia de Immaculatà Deipara Conceptione, aliisque plurimis satis patet. Rursus in iis, quae ad fidem pertinent, & sunt utrimque probabilia, licitum est utramlibet partem amplecti, ut ostensum est. Ergo similiter à pari, vel etiam à potiori datur error invincibilis in doctrinà morum, qui

cum actu voluntatis, quem regulat, nil mali continet, sed Deo placet. Immo in iis, quae utrimque probabilia sunt, unusquisque tam in opinando, quam etiam in operando sequi potest utramlibet partem, maximè si eam existimet esse absolutè veram. Ratio est, quia error in materia fidei non minùs displicet Deo, quam error in materia morum. Ergo si, hoc non obstante, probabilitas & error invincibilis excusant in materia fidei, excusabunt etiam in materia ac doctrinà morum.

16. Tantùm ergo abest, ut paritas, à materia fidei ad morum doctrinam à Celladeo translata, quidquam concludat, ut ex opposito totum ipsius intentum ex paritate hac, aut potius ex identitate, aut majoritate rationis penitus destruat. Et quod plus est, hic est communis non solum recentiorum, sed antiquorum Theologorum sensus & consensus, quorum verba citata invenies *quasi. 23. de Conscientià probabilis*. Ceterùm causa deceptionis Celladei in eo vertitur, quòd ille non distinxerit inter necessaria necessitate medii, & necessaria solum necessitate præcepti. Inde enim factum est, ut omnia ad fidem & mores spectantia ad unam eandemque classem reduceret, atque ea de omnibus enunciarerit, quae solis necessariis necessitate medii conveniunt.

Equivo- catio Celladei detegitur.

## QUAESTIO DUODECIMA.

*Virum ex eo, quòd benigna sententia usus semper vigerit in Ecclesia, rectè colligatur, illam esse veram?*

**S**EMPER mihi visum est optimum argumentum pro veritate doctrinæ ad viros spectantis, si constet, illam semper in Ecclesia viguisse, & à doctis ac probis absque ullà censurâ & scriptis traditam, & in praxim reductam fuisse. Verùm Celladeus *lib. 1. quasi. 3.* expressè asserit, ex hoc argumento nil in alterutram partem posse concludi. Videndum proinde est, an hac in re rectè senserit.

### ASSERTIO PRIMA.

Singularitas in rebus moralibus vehementè falsitatis præsumptionem fundat.

*Novitas in rebus moralibus, iis maximè, quae ad principia generalissima debite formandi conscientiam pertinent, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis, quando opinio nova communem omnium antiquorum sensum condemnat.*

2. **P**ROBATUR assertio, in quam Celladeus ipse consentit. Ratio est, quia quamvis falsitas opinionis ex ejusdem novitate, Antiquorum sensum impugnante, non rectè deducatur, si formam arguendi inspicimus (certum est enim, multas opiniones novas de Solis maculis, & Lunæ montibus esse veras, quamvis omnium Antiquorum persuasio esset contraria) nihilominus illatio saepe valet ratione materiae; tunc scilicet, quando materia illa æquè cadit sub exper-

ientiam omnium, vel æquè ab omnium experientia removetur; tunc enim non potest perfectius cognosci à posterioribus, quam à prioribus, si nullum principium ad talis rei intelligentiam conducens detur, aut naturaliter dari possit, quod omnibus ex æquo commune non fuerit. In hisce ergo casibus, communis omnium consensus non potest non esse validissima præsumptio de veritate contra singularem hominem, qui novam sententiam invehret, quia singularis ille homo nullam experientiam novam, nullumque principium peculiare assignare potest, nisi quae aliis omnibus sunt communia, & ab illis diu magnà diligentia considerata fuere. Unde si omnes, post illa seriò considerata, in unam eandemque sententiam consentiant, ingens præsumptio est, singularem hominem, omnibus aliis contradicentem, errare ac decipi. Certè in paribus circumstantiis facilius est unum errare, quam alios omnes; & ut est in adagio, plus vident oculi, quam oculus. Similiter Jurisperiti optare dicunt, *unus homo, nullus homo*. At quæ ad generalissimam conscientiam debite formandi principia spectant, sub omnium experientiam æqualiter cadunt, neque ullum est principium, quo circa hæc uti possumus, quod omnibus ex æquo non sit commune. Ergo singularitas in istis, contra unanimum aliorum omnium consensum, fundat vehementissimam præsumptionem falsitatis.

3. At aliter se res habet in aliis; si enim quis novum aliquid experimentum asserat, aut novis instrumentis utatur, is præcui dubio melius discurre

tere



re poterit de tali re, quam omnes alii, qui talibus experimentis ac principiis, aut aliis æquivalentibus caruerunt. Unde in istiusmodi casibus singularis homo fundare poterit sententiam, quæ non solum unanimitate priorum omnium opinioni præferenda sit, sed eam, quod plus est, evidentis falsitatis redarguat. Talia multa de rebus cœlestibus contra antiquorum omnium persuasionem novimus, ex quo tubo optico usi sumus.

4. Rursus in particulari materiâ, cujus omnia fundamenta nunquam seridè examinata fuerunt, poterit quis novam inducere sententiam, unanimi aliorum opinioni prævalentem, modò ipsè fundamenta inveniat ab aliis non ponderata. Hæc ratione pia sententia de Immaculatâ Deiparæ Conceptione contrariæ opinioni prævaluit. Qui enim eam primi docuerunt, attulerunt principia ac fundamenta ab aliis non pensata, quibus posteriores permoti maximâ ex parte in piâ abiecti sententiam; cum priores, ob talium principiorum aut ignorantiam aut inconsiderationem, ex generalibus Sacræ Scripturæ sententiis contrariam opinionem unanimiter veram esse supposuerint potius, quam in particulari de industriâ probaverint.

5. Extra hos casus, singularis opinio contra unanimitatem aliorum omnium sententiam, in moralibus potissimum, admitti non debet. Semper enim veritas præsumitur esse ex parte omnium potius quam unius, ut patet. Porro quia certum est, eos, qui singularem doctrinam de usu opinionum probabilium contra communem aliorum omnium sententiam invexerunt, nulla nova principia aut fundamenta attulisse, quæ ab aliis notanter excussa, & diligenter pensata non fuerint, ut in tract. de Conf. prob. per singulas ferè quæstiones evidenter ostendi, ideo evidens est, novitatem in tali materiâ (quæ etiam generalis est, maximè que momenti, & sub omnium experientiam æqualiter cadit) fundare validissimam præsumptionem falsitatis.

ASSERTIO II.

Usus opinandi, & ex opinione probabilis vitam regulandi antiquissimus fuit; omnesq. omnium temporum maximè periti ac probi usum talium opinionum esse licitum docuerunt.

6. DEMONSTRAVI assertiohem hanc, quæst. 22. de Conf. prob. fusè per totam, allatis tum factis, tum Auctorum omnis ætatis testimoniis, quæ videri possunt: non enim opus est ea repetere, cum Celladeus ipse pro indubitato habeat, usum opinandi, ac ex opinione probabilis vitam regulandi esse ipsi mundo cœvum. Rationes, quæ ipsum moverunt, plures & validæ fuerunt. Prima: vis opinandi, non minus quam vis demonstrandi est homini innata. Rursus ab initio ex objectis alia erant scibilia, alia solum opinabilia. Ergo usus etiam istarum potentiarum non potuit non esse ab initio. Secunda: in omnibus omnis ætatis libris hætenus editis invenimus discursus solum probabiles, & incertos. Ergo ex quo Auctores libros scripserunt, usus opinandi viguit. Tertia: Aristoteles omnesque philosophi distinxerunt inter scientiam & opinionem, inter scibilia & opinabilia. Ergo omnes agnoverunt nos de multis non habere nisi opinionem. Huc accedit, Rhetoricam & Diale-

cticam ex probabilibus procedere. Ergo ex quibus fuerunt in mundo Rhetores & Dialectici, viguit usus opinandi & ex probabilibus differendi, cum in scholis, tum in foro & causis, & per tales argumentationes Iudices movebantur ad ferendam sententiam. Quarta: fides humana æquè exposita est falsitati, sicut opinio. At sine fide humanâ respublica nec subsistere nec gubernari potest. Ergo ab initio fides viguit in mundo, & aliqui leviter, aliqui prudenter dictis credebant. Eadem autem est ratio de opinione, & eadem prorsus necessitas, quæ fidei. Ergo sicut homines ab initio ex fide se gubernabant, & moti sunt ad operandum, ita pariter & ex opinione homines semper se gubernarunt tam in causis privatis quam publicis, tam domi quam foris. Quinta: omni tempore Reges suos consiliarios habuerunt. Rursus: ignorantibus ab aliis consilium petere, illi acquiescere, ac ex eo se gubernare semper consueverunt; quod verum est, sive sermo sit de politicis ac moralibus, quæ forum externum concernunt, sive de foro pœnitentiæ in secreto Confessionis Sacramentalis; semper enim Confessarii pœnitentes direxerunt, & pœnitentes ex Confessariorum directione vitam suam composuerunt. Ergo usus opinandi, & ex opinione vitam gubernandi antiquissimus est, mundo ipsi cœvus, & in omni ætate viguit. Ita Celladeus, & hætenus quidem bene.

7. Verùm in eo deficit, quòd ista dimidiatè proferat, eaque consideret præcisè ut facta quadam tam probis quam improbis communiâ; adeo ut ex his nil inferri possit, an hoc bene an malè factum sit, sed id aliundè determinari debeat; sicut ex eò quòd homines semper liberè operati sint, inferri nequit, an bene vel malè egerint; quidam enim per omnes ætates fuere probi, & bene usi sunt libertate, quidam improbi & eadem malè sunt usi. Idem dicit de Causidicis, de Confessariis, & Consiliariis. Unde licet omni ætate homines usi sint opinione probabilis, & ex eâ vitam regulaverint, non sequitur, usum illum esse licitum. Ita ille. Sed contra est, quia ille argumentum nostrum tantum inadæquatè proponit; nemo enim, ex eo præcisè, quòd homines semper usi sint opinione probabilis, intulit talem usum esse licitum; nam semper usi etiam sunt opinionibus improbabilibus, nec tamen ideo licitè operati sunt. Solum ergo usus, utpote ex se tam communis bonis quam malis operationibus, non infert rem factam esse licitam, vel illicitam. Itaque argumentum hoc modo proponi debet. Semper viguit usus operandi ex opinione probabilis, & ille usus, prout certò distinguitur ab usu opinionis improbabilis, ab omnibus sapientibus & probis habitus est pro actione simpliciter prudenti ac laudabili; quia optimi quique ac integerrimi in rebus incertis aliam quam certò probabilem decisionem dare non potuerunt, nec aliter quam iusta probabilem rationem alios dirigere. Porro quòd ab optimis quibusque atque sapientissimis semper usitatum est, illud pro honesto ac licito semper est habitum tam ab ipsis probis, qui ita operati sunt, quam ab aliis, qui talem modum sincerè ac prudenter consilium dandi ut honestum, ac praxi licitè deservientem approbaverunt.

8. Et sanè evidens est, eos reprehendi non posse, qui fide humanâ non temerè sed prudenter dictis credunt, & ex talibus dictis vitam instituunt, si nonquam nisi prudenti iudicio se gubernent; tum quia alioquin tota reipublicæ administratio

ingeniosa & valida Celladei argumentum.

Celladeus dimidiatè fallaciter argumentum nostrum proponit.

Argumentum pro nostra sententia debite proponitur.

Operari ex fide humanâ prudenter vel ex ratione probabilis semper habitum est licitum.



ministratio necessariò desineret; tum quia per hoc ipsum constituuntur in gradu superiori ad illos, qui aliorum dictis temerè credunt, illorumque auctoritate non absque nota temeritatis in gerendis rebus se gubernant. Hi enim propter hoc ipsum reprehenduntur ut temerarii, cum illi opposita de causa ab omnibus tanquam prudentes habeantur. At eadem prorsus est ratio de opinione, ut patet; illa enim, non aliter quam fides, dividitur in temerariam & probabilem. Qui ex prioris dictamine vitam instituunt, temerarii sunt, & semper exultimati fuerunt; qui autem opinionem certò probabilem sequuntur, rationabiliter ac prudenter agunt, ac ab omnibus probis ac doctis agere crediti sunt. Hoc ipsum in omni genere officii, Judicis, Consiliarii, Causidici, &c. videre est, si enim omnes officium suum implent, qui ubi certitudo deest, probabiliora sectantur, atque omnes probi ac docti semper judicantur, tales in hoc ipso laudabiliter se gerere; sicut è contrariò à suo officio deflectunt, & semper ab omnibus probis habiti sunt ut vituperabiles, qui improbabilia sectati sunt, & improbabilibus ac imprudentibus rationibus se suamque vivendi ac operandi rationem instituerunt.

## ASSERTIO III.

*Opinio Celladei eo nomine refellitur, quòd fit nova & contra omnes.*  
*Rigida Celladei opinio eo nomine efficaciter convincitur esse falsa, quia nova est, & contra unanimes aliorum omnium sententiam invecata.*

9. **P**ROBATUR. Opinio Celladei asserit, neminem excusari à peccato, qui sequitur partem minus tutam, etiam probabiliorem, si contingat iudicium illud esse falsum, quamvis absolutè iudicet id sibi licere, & ne quidem de opposito dubitet. At nemo Catholicorum ante illum hoc docuit, sed omnes oppositum unanimiter tradiderunt. Ergo sententia Celladei singularissima est, ac novissima. Ergo ex prima assertionem fundat vehementissimam præsumptionem, quòd sit falsa; quia est novitas in re morali, quæ ad generalissima debite formandi conscientiam principia pertinet, quæque communem aliorum omnium per omnes ætates sententiam condemnat. Itaque novitas in hac materia falsitatem legitime arguit; quamvis enim illatio à novitate ad falsitatem ratione formæ non valeat, sæpe tamen, & nominatim in huiusmodi rebus, valet ratione materiæ, quòd & Celladeus ipse in initio quest. 3. expressè fatetur.

10. Probatur secundò, si singularis ac nova Celladei doctrina esset vera, omnes omnino Doctores Ecclesiæ damnabiliter errassent in re summi momenti, qualis est illa, quæ spectat ad modum debite formandi conscientiam in rebus incertis. Damnabiliter, inquam, quia eos, quos dirigebant, in damnationem direxissent, & consequenter ipsi sibi etiam damnabiliter opinati fuissent. At non est credibile, Deum ita Ecclesiæ deseruisse, ut omnes omnino, & maxime notos Ecclesiæ Doctores, tam periculosè & peccaminosè errare permiserit; sed est validissima præsumptio in contrarium. Ergo datur validissima præsumptio de falsitate sententiæ Celladei, idque sequitur ratione materiæ ex eisdem opinionis novitate ac singularitate.

## SOLVUNTUR OBJECTIONES.

11. **O**BJECTUM primò, esto, antiqui Theologi optimæ notæ docuerint, usum opinionis minus tutæ esse licitum; aliqui tamen tunc temporis docebant eundem esse illicitum. Ergo ex hoc capite non rectè infertur veritas benignæ sententiæ potius quam rigidæ. Ita Celladeus hic §. 2.

Respondeo, Celladeum falsò supponere hanc opinandi diversitatem, non enim vel verbum hic adducit ad hoc probandum. Respondeo secundò, certum esse quòd per centum & amplius annos omnes tenuerint sententiam benignam, neque Celladeus id diffitetur, aut diffiteri potest; quia omnes in expressis terminis tradunt sententiam quam ipse impugnat. Sed & antiquiores idem expressissimè tradunt de opinione probabiliore, cui ut verè quis assensum præbet. At argumenta & præsumptiones allatæ quæ procedunt contra impugnantem tam unanimes consensum, ac si certò constaret omnes in eadem sententia diutius consensisse.

12. Respondeo tertio, ex antiquis paucos ex professo & in propriis terminis tractasse materiam hanc, de qua inter nos & Celladeum est præsens controversia; qui autem illam tractarunt, omnes ad unum nobis subscribunt, ut ostensum est quest. 22. de Consc. prob. Itaque Celladeus non lucem sed tenebras querit, dum, rejectis sæculi ultimi Auctoribus luculentissimis, qui rem in terminis examinerunt, ad antiquos, qui hac de re aut nullo modo aut obicere tantum locuti sunt, regreditur. Verùm nec quemquam in illis reperire potest, nisi sibi contrarium, ut ex dicta quest. 22. apertè constat. Porro dicere, ut dicit Celladeus, omnes omnino gravissimos doctissimosque Doctores Ecclesiæ, qui à centum & amplius annis scripserunt, turpissimè ac periculosissimè errasse in hac materia, hominesque eorum doctrinam bona fide secutos, tutos non fuisse, sed in eo, quòd tanta auctoritate inducti fecerunt, graviter peccasse, est homines innocios absque fundamento gravissimam censuram præscindere. Ex hoc autem, juxta præclaram Chrysostomi regulam (quam ipse Celladeus ad alium finem hac in questione adhibuit) inferre licet, quid Celladeus ipse de antiquis Auctoribus, quos nunc laudat, dicturus fuisset, si tempore eorum vixisset, & illi opinionem ipsi contrariam tenuissent. Verba Chrysostomi ex hom. 45. in Matth. desumpta ita se habent. Cum audieris aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis est circa suos Doctores; si enim illos sustinet, & non honorat, cum quibus vivit, sine dubio & illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, verè & illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset; nam omnis correctio similis est cæteris tentationibus, &c. Jam videat Celladeus, an honoret Doctores suos, à quibus doctus est, an verò & illos & omnes, qui per integrum sæculum scripserunt in Ecclesia, gravissimam censuram dehonorat, & videbit, se frustra priores & antiquiores laudare, & ad illos tanquam ad oracula sibi fidentia appellare; ex regula enim Chrysostomi non ideo eos laudat, quòd eorum auctoritate nitatur, sed quia putat, eos idem secum sentire, ideo eos magni facere videtur, ut sic suæ causæ patrocinium apud alios, qui illos plurimi faciunt, obtineat. Præterea frustra ad illos confugit, quia neminem ex omnibus sibi faventem.

Objecio 1.  
 Antiqui omnes sunt contra Celladeum.

Celladeus professa & in propriis terminis tractasse materiam hanc, de qua inter nos & Celladeum est præsens controversia; qui autem illam tractarunt, omnes ad unum nobis subscribunt, ut ostensum est quest. 22. de Consc. prob. Itaque Celladeus non lucem sed tenebras querit, dum, rejectis sæculi ultimi Auctoribus luculentissimis, qui rem in terminis examinerunt, ad antiquos, qui hac de re aut nullo modo aut obicere tantum locuti sunt, regreditur. Verùm nec quemquam in illis reperire potest, nisi sibi contrarium, ut ex dicta quest. 22. apertè constat. Porro dicere, ut dicit Celladeus, omnes omnino gravissimos doctissimosque Doctores Ecclesiæ, qui à centum & amplius annis scripserunt, turpissimè ac periculosissimè errasse in hac materia, hominesque eorum doctrinam bona fide secutos, tutos non fuisse, sed in eo, quòd tanta auctoritate inducti fecerunt, graviter peccasse, est homines innocios absque fundamento gravissimam censuram præscindere. Ex hoc autem, juxta præclaram Chrysostomi regulam (quam ipse Celladeus ad alium finem hac in questione adhibuit) inferre licet, quid Celladeus ipse de antiquis Auctoribus, quos nunc laudat, dicturus fuisset, si tempore eorum vixisset, & illi opinionem ipsi contrariam tenuissent. Verba Chrysostomi ex hom. 45. in Matth. desumpta ita se habent. Cum audieris aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba illum, qualis est circa suos Doctores; si enim illos sustinet, & non honorat, cum quibus vivit, sine dubio & illos honoraturus fuerat, si cum illis vixisset. Si autem suos contemnit, verè & illos contempturus fuerat, si cum illis vixisset; nam omnis correctio similis est cæteris tentationibus, &c. Jam videat Celladeus, an honoret Doctores suos, à quibus doctus est, an verò & illos & omnes, qui per integrum sæculum scripserunt in Ecclesia, gravissimam censuram dehonorat, & videbit, se frustra priores & antiquiores laudare, & ad illos tanquam ad oracula sibi fidentia appellare; ex regula enim Chrysostomi non ideo eos laudat, quòd eorum auctoritate nitatur, sed quia putat, eos idem secum sentire, ideo eos magni facere videtur, ut sic suæ causæ patrocinium apud alios, qui illos plurimi faciunt, obtineat. Præterea frustra ad illos confugit, quia neminem ex omnibus sibi faventem.

Qui suos Doctores non honorat, nec antiquos honorasset, si cum illis vixisset.



sed omnes omnino adversantes habet, ut ostensum est *quæst. 22. de Conf. prob.*

13. Objicit secundò. Ut multi ex Christianis omni ætate secuti sunt opiniones & resolutiones probabiles, ita quoque multi omni ætate damnati sunt. Hoc constat; non autem constat, quòd salvati vel damnati fuerint, quia operati sunt ex opinione probabili hoc titulo, quòd usus sic operandi antiquissimus fuerit. Ergo nemo salutis suæ securitatem huic antiquitati prudenter alligare potest. Ergo aliunde, non ex antiquitate concludendum est, quòd usus opinionis probabilis sit licitus, vel illicitus. Ita Celladeus hic §. 2. *in fine.*

Nemo ideo damnatus est, quia bona fide secutus est opinionem certò prædictè probabilem, &c.

Respondeo, multos Christianos omni ætate damnatos fuisse, etiam ex iis, qui secuti sunt opinionem certò probabilem, sed nego, quemquam eorum ideo damnatum fuisse, quia secutus est talem opinionem, si bonà fide operatus est ex persuasionem, qua certò probabiliter credit id sibi esse licitum. Nec mirum, quia hoc ipsum probamus, idque verum esse ex antiquitate & universalitate talis doctrinæ fat certò novimus; in rebus enim ejusmodi moraliter certum est, omnes omnino Doctores, probitate & doctrinâ præstantissimos, periculose errare non posse; tum quia est res scitu prorsus necessaria, tum quia ad universalia capita juris naturæ, & ad modum formandi conscientiam pertinet. In talibus autem manifesta præsumptio est,

omnes periculose non errare. Præterea si in ea periculose errassent, Deus Ecclesiam destruisset.

14. Tertio. Idiotæ, qui tantam auctoritatem sequuntur, si errent, ex invincibili legis ignorantia errant, sicut & Doctores, qui ita senserunt. Ergo nec hi ita docendo, nec illi ita operando periculose errant. Ergo, si sit error, ille solùm materialis est, & ad peccatum nemini imputari potest. Sed quid loquor de errore materiali, seu non imputabili? Ipsa antiquitas, & constans Auctorum omnium per tot ætates consensus in tali materia fundat præsumptionem, ad minimum moraliter certam, nullum in tali re, sub propria ejus universalitate considerata, errorem latere potuisse, quia naturaliter repugnat, universales theses ad jus naturæ spectantes ita latere, ut omnes docti ac probi diligentissimè illas examinantes ita decipiantur, ut putent illud esse omnibus universaliter permissum jure naturæ, quod omnibus jure naturæ est verum. Talis est præsens materia. Ergo communis omnium consensus de veritate talis sententiæ, per plura sæcula continuatus, moraliter certificat nos, doctrinam illam nullatenus erroneam, sed verissimam esse. Itaque veritas hæc non ex præcisa antiquitate, sed ex illa circa talem peculiarem materiam, unà cum communi omnium consensu validissima præsumptione stabilitur.

Qui sequitur unanimes Doctorem sententiâ periculose errare nequit.

## QUÆSTIO DECIMATERTIA.

*Virum ex opinione benigna sequatur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientia regulam?*

### ASSERTIO UNICA.

*Ex benigna sententia aperte sequitur, non omnem cujusq; existimationem de honestate operis quod facit, esse sufficientem conscientia regulam.*

2. **D**EMONSTRATUR. Benigna sententia pro sufficienti conscientia regula in rebus incertis præscribit, ut operatio reguletur per judicium certò probabile de honestate operis. Rursus eadem sententia expressè tradit, omne opus, quod ex tali ad minimum judicio non procedit, esse peccaminosum. Sed evidens est, non omnem existimationem de honestate operis esse judicium probabile, & multò minus esse judicium certò probabile. Ergo ex benigna sententia evidenter sequitur, non omnem existimationem de honestate operis esse sufficientem regulam pro honestate operationis.

Ratio porro fundamentalis, cur judicium certò probabile sufficiat, & non sufficiat aliud quodvis pro conscientia ritè regulanda, ex eo desumitur, quòd prima principia synderesis reflexa, evidenter ostendunt honestatem operationis, adjun-

Propria cuiusque existimatio non est sufficientis conscientia regula.

Mira Celladeus. I. dei persuasio.



X alii, quæ Celladeus contra benignam sententiam objicit, non infirmum est, quod *lib. 1. quæst. 5. §. 2.* multis probare contendit; scilicet ex illa necessariò sequi, quemque esse

tutum in conscientia, nec peccare, qui putat se honestè operari in eo quod facit. Ex quo semel, admisso, illico sequitur, suam cuique existimationem esse sufficientem conscientia regulam; ideoque nos frustra suadere in assignanda probabilitatis natura ac definitione; nam fatendum erit vel omnem omnino existimationem esse probabilem, vel aliquam non probabilem esse sufficientem conscientia regulam. Quodcumque autem dicatur, tota disputatio de probabilitate frustratoria erit in ordine ad præsentis quæstionis determinationem.